



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682


Rotomagen. Archiepisc.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

DECANO ET CAPITULO
Abrincen.

Epist. 442.
Vt lite & ap-
pellatione pen-
dente attentata
revocentur.

Accedens ad apostolicam sedem dilectus filius. de Aquila magister scholarum Abrincen. sua nobis insinuatione monstravit quod cum olim coram vobis nostram audientiam appellasset, ne ad alicujus electionem personæ nobis procederetis aliquatenus inconsultis, vel quia nihil certum statutum erat à nobis super translatione magistri W. Abrincen. electi, vel quia vos metu secularium in præjudicium libertatis ecclesiasticæ timebat aliquid attentare, aliasque causas rationabiles assignasset, appellatione ipsa in præsentia venerabilis fratris nostri Archiepiscopi & dilectorum filiorum Capituli Rothomagen. in scriptis & per nuncios postea innovata, cum illuc accedere in persona propria non aude- ret, vos W. Tollermen. Clericum Senefcalci Normanniæ infra sacros ordines tunc temporis, sicut dicitur, constitutum in fraudem ordinari fecistis, & in octavis sanctæ Crucis elegistis ipsum postquam dictus magister iter arripuit ad nos veniendi, licet contra ipsum W. coram te, fili Decane, & quibusdam aliis de ipso Capitulo à dicto magistro fuerit specialiter appellatum, quia & prorsus illiteratus erat, & propter alia multa minùs idoneus pontificali officio videbatur, & in eadem Ecclesia per intrusionem eligi laborabat. Cum autem appellatione rationabiliter interposita secundum constitutiones canonicas nihil sit innovandum, nos apostolicæ sedis contemptum & nostrum nolentes, sicut nec debemus, surdis auribus pertransire, universitati vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus aliquos ex vobis usque ad Dominicam qua cantatur *Latate Hierusalem* proximè venturam, remoto appellationis obstaculo, ad nostram præsentiam transmittatis, de præmissis excessibus responsuros: attentius provisiuri ne circa præmissum factum procedere præsumatis, donec de his quæ præmissimus cognoscentes, de nostro beneplacito vos curaverimus reddere certiores. Datum Laterani VII. Idus Decembris.



ROTOMAGEN. ARCHIEPISC.

Accedens &c. usque ad verbum innovandum; fraternitati tuæ, de qua plenam fiduciam obrinemus, per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus circa præmissum negotium ad confirmationem cujusquam vel consecrationem appellatione remota procedere non attententes, donec à nobis deliberatum fuerit quid sit de his quæ præmissimus faciendum; cum sine contemptu apostolicæ sedis & nostro contrarium fieri non valeret, nec nobis injurias velimus à nostris fratribus & co-episcopis irrogari, qui jura eorum servare cupimus illibata. Datum Laterani Nonis Decembris.

VPSALEN. EPISCOPO.

Ad nostram noveris audientiam pervenisse quod cum quamplurimi Suetiæ Clerici non sint de legitimo thoro suscepti, qui ob suæ generationis erubescerentiam altioris gradus culmen appetere nulla præsumptione deberent, contra constitutionem in Lateran. Concilio provida deliberatione innovatam venire nullatenus metuentes, episcopatum dignitates inverecundè nimium obtinere contendunt, cum id fieri districtius in Concilio ipso vetetur; & quamvis adversus hujusmodi præsumptores, sicut accepimus, venerabilis frater noster Archiepiscopus Lundensis sæpe comminationes intēderit, & arctius inhiberit ne tale quid præsumeretur ulterius, nihilominus præsumunt agere perniciosius quod vetatur. Nuper etiam, sicut nostris est auribus suggestum, cum tres Clerici de legitimo matrimonio non suscepti, in tribus Ecclesiis cathedralibus adversus ea quæ superius annotavimus electi fuissent, bonæ memoriæ prædecessori tuo, cujus erant Ecclesiæ illæ jurisdictioni subiectæ, districtius vetuit ne illorum electionem ratam haberet, vel eis consecrationis munus impendere attentaret. Verùm ille constitutioni prædictæ ac inhibitioni ejusdem Archiepiscopi obviare non metuens, duos eorum in Episcopos consecravit. Quod præfatus Archiepiscopus nolens relinquere impunitum, Episcopos illos ab officio iniquè recepto & consecrationem tertij à complemento suspendit. Quia verò illius terræ homines sunt adhuc rudes in

Epist. 441.
Ejusdem tituli
argumenti.

Epist. 446.
De illegitimi-
no ordinandi,
nec ad dignitates
eligendi.